# QVÆESTIONES IN OFFICIA M. T. CICERONIS.

Compendiariam totius *Opuſculi Epitomen* continentes.

OXONIÆ,
*Ex Officina Typographica* IOSEPHI BARNESII. 1592.

B L

15·7·75

# VIRO
# SVMME ERVDITO,
## LAVRENTIO HVMFREDO,
COLLEGII MAGDALENENSIS,
in Academia Oxonienſi, Præſidi:
& ſingulis eiuſdem Collegij
alumnis, Gratiam, &
pacem a Domino.

*Vod ab egenis benemerentibus* (*Ornatiſſimè* Humfrede) *quodque à liberis Parentibus: illud quicquid eſt, vobis à me, veſtroq; Collegio debetur officium. Nam puer olim, cùm Grammatices rudimenta vix deguſtàram, a Parente* (*vt ita dic*) *meo,* Petro Morwingo (*vti noſti*) *ad Academiam Oxonienſem adductus, atq; illius opera, & virigraviſſimi, necnon doctiſſimi,* Ioannis Mullini *beneficio* (*quos officij cauſa meminiſſe iuuat*) *in triginta* Gulielmi Wamfleti *ſcholarium numerum coaptatus ſum. Vbi* (*pro meo modulo*) *bonarum literarum ſcientiam in veſtro Collegio, vſq; ad quadrageſimum ætatis meæ annum; item victum, & veſtitum, vna cum omne genus ornamentis ſcholaſticis accepi. Cuius beneficij, nec me, nec alios* (*quorum ſunt quamplurimi*) *eodem affectos, immemores eſſe docet. Qui igitur ad alti-*

*ores honoris,& dignitatis gradus euecti,in iisdem adibus enutriti sunt, eosdē magnificis muneribus nutricem remuneraturos,& spero,& opto. Equidem quod possum,munusculum leuidense,atpueris,& iuuenibus vestris non inutile: grati animi mei symbolum,vobis,in M.T.C.officia,quæstiones dono. Quas si aqui, bonig, consulatis, alacriorem me,ad alia maiora,inuestrum,& aliorum vsum, in posterum peragendareddetis: sin minus animus vobis,vestrog, collegio bene faciendi cupiētissimus (Deo mihi semper opem,atque auxilium prebente)nunquam imminuetur. Itaq, Deū Opt. Max. precor,vt vos spiritu sancto suo regat,& omni literarum, cùm humanarum tum diuinarum scientia,ad suam gloriam,& ecclesiæ ædificationem, cumulatissime exornet.*

*Valete,Banburiæ,Idibus nouembris,*1586.

*Vestri studiosissimus,*

Thomas Brasbridgius.

# QVAESTIONES IN M. T. CICERONIS DE OFFICIIS

## LIBRVM PRIMVM.

Præceptor. Discipulus.

*HABET multa (mi puer) Marcus Cicero vt dicta sapienter, ita summo concinnitudinis artificio elimata. Cæterùm si quid ego possum aut coniectura probabiliter augurari, aut iudicio definitè statuere, nihil est, ex tam numerosa eiusdē propaginis sobole, quod genuinam magis referat politioris elegantiæ formam, seu orationis puritatem. seu grauitatē spectes materiæ, quod cum ha. gua Ciceronis de officijs opella conferri aut comparari possit. Quare si mihi Socratico more breter interroganti, compendiariam subieceris illius opusculi comprehensionem, feceris & ætate tua dignissimum, & authoritati meæ gratissimum.*

*Disc.* Nę ego Pręceptor, & mihi male cautus, & tibi perperam viderer ingratus, si tibi tam iustum, tam vtile, tam honestum imperanti morem non gererem. Pręsertim cum nihil sit à te in hoc opere expetitum.

quod non fuerit tua mihi industria ita prius explorate cognitum, vt sine vlla hesitatione facile & expedite respondeam. Quare iube obsecro quod vis, fiet vt potero quod rogitas.

Præ. *Dic mihi imprimis ergo, quot ille libros de officijs scripserit?*

*Dis.* Tres Libellos.

Præ. *Quam tu ex istis vtilitatem capias?*

*Dis.* Triplicem. Disco enim inprimis Latine loquendi facultatẽ, quod est Grammatici: deinde rei amplificandę seu disputandi modũ, quod est oratoris: postremo vitę rectę instituendę rationem, quod est Philosophi.

Prę. *Quid est Grammatici proprium?*

*Dis.* Proprie, intelligenter, & pure loqui

Prę. *Quid est Oratoris proprium?*

*Dis.* Apte, distincte, ornateq; dicere.

Præ. *Quid est Philosophi proprium?*

*Dis.* Vitę instituẽdæ rationẽ rectè docere.

## CAPVT 1.

Pr. *Quid agit Cicero libri primi capite primo?*

*Di.* Primum caput est exordium totius operis, in quo hortatur filium suum, vt libros eius de officiis legat.

Prę. *Quibus argumentis hoc illi persuadere conatur?*

*Dis.* Duobus argumentis: Ab Vtili. Nam librorum eius lectionẽ vtilem esse significat quia

quia orationem latinam legendis illis, efficias pleniorem: deinde quia bene viuendi rationem inde discas.

Præ. *Nihilne præterea agit Cicero in hoc capite?*

*Dis.* Significat etiam diuersos esse bonorum fines, & varias Philosophorum sectas.

Præ. *Qui sunt bonorum fines?*

*Dis.* Virtus: Honores: Diuitiæ: Voluptas.

Præ. *Quis nam horum est maximè eligendus?*

*Dis.* Virtus.

Præ. *Quæ sunt præcipuæ Philosophorum sectæ?*

*Dis.* Secta Stoicorum, Peripateticorum, Academicorum, & Epicureorum.

Præ. *Quæ erãt horũ Philosophorũ variæ opiniones?*

*Dis.* Stoici putabant virtutẽ esse summum, & solum bonum. Peripatetici affirmabant virtutem maxime propter se expetendam esse: eadem etiam erat opinio Academicorum, nihil autem pro certo affirmabant. Epicurei verò voluptatem summum bonum statuebant.

## CAPVT 2.

Præ. *Quid agit Cicero in secundo capite?*

*Dis.* Reprehendit Panætium, quòd officii definitionem prætermiserit.

## CAPVT 3.

Præ. *Quid agit in tertio capite?*

*Dis.* Diuidit officiũ. Et illud definit officium de quo disputaturus est. Deniq; in eo-

dē capite cōtinetur propositio totius operis.

Præ. *Quæ sunt officij genera?*

*Dis.* Vnum genus est quod pertinet ad finem bonorum, alterum quod positum est in præceptis. Item vnum officium medium dicitur, alterum perfectum.

Præ. *Quid est medium officium?*

*Dis.* Est actio vitæ humanæ cum virtute coniuncta. vel. Est quod cur factum sit, ratio probabilis reddi possit.

## CAPVT 4.

Præ. *Quid agit Cicero in quarto capite?*

*Dis.* Proponit quinque consilij capiendi quæstiones. Et eādem opera totius operis argumentum.

Præ. *Quæ sunt illæ quæstiones?*

*Dis.* Prima honestumne factum sit, an turpe, quod in deliberationem cadit? Secunda duobus propositis honestis, vtrum honestius? Tertia conducat id necne de quo deliberant? Quarta duobus propositis vtilibus, vtrum vtilius? Quinta, & vltima cum pugnare videtur cum honesto id quod videtur esse vtile, vtrum sit eligendum?

Præ. *In quibus libris disputat de his quæstionibus?*

*Dis.* In primo libro disputat de prima, & secunda: in secundo de tertia, & quarta: in tertio de quinta.

CA-

## CAPVT 5.

Præ. *Quid agit in quinto capite?*

*Dis.* Primò docet quid commune sit omnium animantium: deinde quid maximè interſit inter hominem, & belluam, & eâdem opera formā honeſti, ſeu (vt quidam loquuntur) ſemina virtutum proponit.

Præ. *Quid commune eſt omnium animantium?*

*Diſ.* Principio generi animantium omni eſt à natura tributum, vt ſe, vitam corpuſque tueatur, &c. Commune autem animantium omnium eſt coniunctionis appetitus procreandi cauſa, &c.

Præ. *Quid intereſt inter hominem, & belluam?*

*Dis.* Inter hominem, & belluam hoc maximè intereſt: quod hec tantum quāntū ſenſu mouetur, ad id ſolum quod adeſt, quodq; præſens eſt ſe accommodat, &c.

Præ. *Quot ſunt virtutes?*

*Diſ.* Virtutis genera ſunt quatuor. Prudentia. Iuſtitia. Fortitudo. Temperantia.

Præ. *Quæ ſunt ſemina Prudentiæ?*

*Diſ.* Auiditas videndi, audiendi, atq; diſcendi, & cognoſcendi res occultas & admirabiles.

Præ. *Quæ ſunt ſemina Iuſtitiæ?*

*Diſ.* Orationis, & vitæ ſocietas. Amor eorum qui procreati ſunt. Studium parandi ea quę ſuppeditent & ad cultum, & ad victum,

ctum, sibi, coniugi, liberis, cęteriſq; quos charos habeat, tueriq; debeat.

Præ. *Quæ ſunt ſemina Fortitudinis?*

*Diſ.* Appetitio quędam principatus, & animus parêre recuſans, niſi præcipienti, aut docendi, aut vtilitatis cauſa iuſte & legitime imperanti.

Præ. *Quæ ſunt ſemina Temperantiæ?*

*Diſ.* Amor ordinis, decoris, conſtantiæ in dictis, factiſq;, & odium eorum quæ fiunt in decore, effæminate, libidinoſeq;.

## CAPVT 6.

Prę. *Quid agit Cicero in ſexto capite?*

*Diſ.* Definit quatuor virtutes, earumq; naturam oſtendit.

Prę. *Quid eſt Prudẽtia, eiuſue natura quæ eſt?*

*Diſ.* Prudentiæ natura eſt verum perſpicere, ſeu: Prudentia eſt perſpicientia veri, ſolertiaq;

Præ. *Quid eſt Iuſtitia?*

*Diſ.* Iuſtitia eſt virtus, quæ in hominum ſocietate tuenda, tribuendoq; ſuum cuique, & rerum contractarum fide verſatur.

Prę. *Quid eſt fortitudo?*

*Diſ.* Fortitudo eſt virtus quę in animi excelſi, atque inuicti magnitudine, ac robore verſatur.

Præ. *Quid eſt Temperantia?*

*Diſ.* Temperantia eſt virtus quæ in omniun

um quæ fiunt, quæque dicuntur ordine, & modo versatur.

Præ. *Quid est Prudentiæ proprium munus?*

*Dis.* Indagatio, atque inuentie veri.

Præ. *Quid est Prudentiæ materia in qua versetur?*

*Dis.* Veritas, quam quidam Prudentiæ subiectum appellant.

Præ. *Quid interest inter Prudentiam, & reliquas virtutes?*

*Dis.* Prudentia in sola mentis agitatione, reliquæ virtutes in actione versantur.

## CAPVT 7.

Præ. *Quid agit Cicero in septimo capite?*

*Dis.* Q Disputat de prudentia, quęq; in hac sunt fugienda vitia, seu (quod idem est) quę huic virtuti sunt contraria docet.

Præ. *Quid est Prudentiæ contrarium?*

*Dis.* Imprudentia.

Præ. *Quot sunt imprudentia partes?*

*Dis.* Duę: nimirum incognita pro cognitis habere, hisque temere assentiri: deinde nimis magnum studium in res obscuras, atq; difficiles, easdēq; non necessarias conferre.

Præ. *Quæ igitur imprudentia fugiēda sunt vitia?*

*Dis.* Eadem ipsa. ne incognita pro cognitis habeamus, hisq; temere assentiamur. alterum ne nimis magnum studium cōferamus in res obscuras. &c.

Præ.

Præ. *Quomodo prius vitium effugiemus?*

*Dis.* Si ad res considerandas, tempus & diligentiam adhibeamus.

Præ. *Quomodo posterius vitium effugiemus?*

*Dis.* Si in rebus honestis, & cognitione dignis operam, curamque ponamus.

Præ. *Quæ sunt res illa honestæ, & cognitione dignæ?*

*Dis.* Studia scientiæ seu artes liberales, quęq; pertinent ad bene beateq; viuendũ his adduntur quę pertinent ad priuatæ domus, atque reip. administrationem.

Præ. *Quæ sunt artes liberales?*

*Dis.* Grammatica. Dialectica. Rhetorica. Arythmetica. Geometria. Musica. Astronomia. his addas Philosophiam quam vocant Naturalem, item Medicinę & Iuris ciuilis studium.

Præ. *Quæ scientiæ pertinent ad bene, beateq; viuendum?*

*Dis.* Apud Ethnicos moralis Philosophia, quę erroneis opinionibus corrupta est. Apud Christianos verò Theologia, quæ purum, & verum Dei verbum docet.

Præ. *Quæ pertinent ad priuatæ domus, & reip. administrationem?*

*Dis.* Philosophia æconomica, & politica. His addatur historiarum, seu rerum gestarũ cognitio, cuius in omni vite genere vsus est.

CA-

## CAPVT 8.

Præ. *Quid agit Cicero in octauo capite?*

*Dis.* Disputat de Iustitia, eamque in duas diuidit partes.

Præ. *Quæ sunt Iustitiæ partes?*

*Dis.* Vna est quę generali nomine, iustitia, item quę æquitas appellatur: altera quæ beneficientia, seu liberalitas nominatur.

Præ. *Quæ sunt Iustitiæ munera?*

*Dis.* Primum est ne cui quis noceat: deinde vt communibus vtatur vt communibus, & priuatis vt suis.

Præ. *Quæ sunt communia?*

*Dis.* Omnia natura sunt communia.

Prę. *Quomodo igitur fiunt priuata plerąq;?*

*Dis.* Veteri occupatione, Victoria, Lege, Pactione, Conditione, Sorte.

## CAPVT 9.

Præ. *Quid agit Cicero in nono capite?*

*Dis.* Docet quid sit Iustitię fundamentum.

Prę. *Quid est Iustitiæ fundamentum?*

*Dis.* Fides.

Præ. *Quid est fides?*

*Dis.* Est dictorum conuentorumque constantia, & veritas.

Prę. *Vnde ducitur fides?*

*Dis.* A fio & dico. Fides enim discitur, quia fiat quod dictum est.

CA-

## CAPVT 10.

Prę. *Quid agit Cicero in decimo capite?*

*Dif.* Docet quę sint iniustitię genera: seu (quod idem est) quę in Iustitia sint fugienda vitia.

Præ. *Quæ sunt iniustitiæ genera?*

*Dif.* Vnum est eorum qui inferunt: alterũ eorum, qui ab iis, quibus infertur, non propulsant iniuriam.

Prę. *Quæ sunt causæ Iniuriæ inferendæ?*

*Dif.* Ira, Metus, Auaritia, Ambitio.

Præ. *Quid est auaritiæ?*

*Dif.* Est diuitiarum apperitio cum damno alterius.

Præ. *Quamobrem expetuntur diuitiæ?*

*Dif.* Expetuntur ad vsus vitę necessarios: ad perfruendas voluptates: ad gratificandi facultatem: ad magnificos apparatus, vitęq; cultum cum elegantia.

Præ *Quid est Ambitio?*

*Dif.* Est iniusta honoris appetitio.

Præ. *Quibus rationibus probat Cicero Ambitionem esse iniuriæ inferendæ causam?*

*Dif.* Ennii poëtę testimonio, & C. Cæsaris exemplo.

## CAPVT 11.

Præ. *Quid agit Cicero in vndecimo capite?*

*Dif.* Dicit iniuriam aliam, alia esse leuiorem.

Præ.

Præ. *Quæ sunt leuiores iniuriæ?*

*Dis.* Quę repentino aliquo motu accidunt, leuiores sunt iis, quæ meditatæ, & præparatæ inferuntur.

## CAPVT 12.

Præ. *Quid agit in duodecimo capite?*

*Dis.* Secundi generis iniustitię. nimirum non propulsandæ iniuriæ, causas docet.

Præ. *Quæ sunt non propulsandæ iniuriæ causæ?*

*Dis.* Fuga inimicitiarum laboris, & sumptus, negligentia, pigritia, inertia, occupationes, studium rei familiaris tuendæ, & odium quoddam hominum.

## CAPVT 13.

Præ. *Quid agit Cicero in decimo tertio capite?*

*Dis.* Docet officium circumstantiis commutari, & quod maxime videtur iusto homine dignum, fieri contrarium: etiam promissis non stare aliquando licere.

præ. *Quibus non licet promissis stare?*

*Dis.* 1. Quæ sunt iis quibus promiseris inutilia. 2. Quæ plus noceant promittenti, quàm prosint ei cui promiserit. 3. Quæ coactus quis metu, 4. Quæ deceptus dolo promiserit.

Præ. *Quæ præcipuè spectanda sunt in promissis faciendis?*

*Dis.* Primò videndum ne cui noceatur, deinde

deinde vt communi vtilitati seruiatur.

## CAPVT 14.

Prę. *Quid agit in decimo quarto capite?*

*Dis.* Docet existere sępe iniurias calumnia quadam,& callida verborum interpretatione.

prę. *Quomodo hoc docet?*

*Dis.* Exemplis duorum callidorum, quorum alterum non nominat, qui cum triginta dierum essent cum hoste pactę inducię, noctu populabatur agros. quod dierum essent pactę,non noctium inducię. Alterum exemplum est Q. Fabij Labeonis, qui arbiter Nolanis,& Neapolitanis de finibus datus,aliquantũ agri callidè vtrisque surripuit.

## CAPVT 15.

Prę. *Quid agit in decimo quinto capite?*

*Dis.* Bellica docet officia, deinde aduersus seruos iustitiam esse seruandam.

Prę. *Quam ob causam suscipiendum est bellum?*

*Dis.* Vt sine iniuria in pace viuatur.

Prę. *Quodnam bellum iustum est?*

*Dis.* Quod ad propulsandam iniuriam suscipitur,quodque rebus repetitis geritur, atque denuntiatum est antè & indictum.

Prę. *Quanam officia belli præcipuè sunt seruanda?*

*Dis.* Primũ est vt milites cũ hostibus non pugnẽt,nisi militię sacramẽto priusobligati.

Prę.

Prę. *Quomodo hoc docet Cicero?*

*Dif.* Authoritate Catonis, hac de re scribentis, & ad Pompilium imperatorem, & ad M. filium.

Prę. *Quodnam est secundum officium?*

*Dif.* Vt non acerbe gerantur bella, cum de imperio decertatur, belloq; quęritur gloria. Quod romanorũ, & Pyrrhi exemplo docet.

præ. *Quodnam est tertium?*

*Dif.* Vt parta victoria conseruantur ij, qui non crudeles in bello, nec immanes fuerunt: vtque recipiantur, qui armis positis, ad imperatorum fidem confugiunt, vt Romani sæpè fecerunt.

Præ. *Quodnam est quartum in bello seruandum officium?*

*Dif.* Vt singuli milites fidem conseruent, si quid teuporibus adducti hosti promiserint. Quod Cicero docet duobus exemplis. Reguli nimirum, qui captus à Pœnis, cùm Romam missus esset, iurasset q; se rediturum: ad supplicium redire maluit, quàm fidem hosti datam fallere: deinde Censorũ Romanorum, qui illos decẽ quos Annibal Romã astrictos misit ureiurando se redituros, nisi de redimendis ijs qui capti erant impetrassent, quoad quisque illoru n vixit qui peierassent, in ęrarus reliquerunt, nec minus illum, qui iurisiurandi fraude culpã inuenerat.

Prę. *Iam reſtat vt de Inſtitia aduerſus ſeruos ſeruanda dicas?*

*Diſ.* His vti oportet vt mercenariis ad operam exigendam, & iuſta præbenda.

## CAPVT 16.

Prę. *Vid agit Cicero in decimo ſexto capite?*

*Diſ.* De ſecunda iuſtitiæ parte diſputaturus, beneficentia nimirum, ſeu liberalitate: quas illa habet cautiones docet.

Præ. *Quæ in beneficentia cauenda ſunt?*

*Diſ.* Videndũ eſt primum ne obſit benignitas, & ipſis quibus benignè videbitur fieri, & cęteris. Deinde ne maior benignitas ſit, quàm facultates. tũ, vt prodignitate cuiq; tribuatur.

Præ. *Quæ ſpectanda ſunt vt pro dignitate cuiq; tribuatur?*

*Diſ.* Mores eius in quem beneficium conferetur, & animus erga nos, & communitas, ac ſocietas vitæ, & ad noſtras. vtilitates officia antè collata.

## CAPVT 17.

Præ. *Quæ in moribus ſunt conſideranda?*

*Diſ.* Nemo eſt negligendus, in quo aliqua ſignificatio virtutis appareat. Colendus eſt autem vnuſquiſq; maxime, vt quiſq; maxime temperantia. & iuſtitia erit ornatus.

## CAPVT 18.

Prę. *Vid de hominũ animo erga nos dicit Cic.*

*Diſ.* Ei plurimũ tribuendum, à quo pluri

mum

mum diligimur: Quam beneuolentiam, non adolescentulorum more, ardore quodam amoris, sed stabilitate, & constantia iudicemus oportet.

## CAPVT 19.

Præ. *Quid de officijs ad nostras vtilitates antè collatis dicit?*

*Dis.* Dicit ei à quo beneficium acceperis gratiam esse referendam: quo officio, nullum est magis necessarium. Deinde ei à quo plurimum acceperis, plurimum deberi, modò non temeritate quadam, seu repentino animi impetu, sed iudicio, considerate, cõstanterq; delata sint beneficia. Deniq; si cætera sint paria, vt quisq; maxime indigeat, ita ei potissimum opitulari oportet, siue beneficium collocemus, siue gratiam referamus.

## CAPVT 20.

Præ. *Quid de communicate, & vitæ societate dicit?*

*Dis.* Vt quisq; erit coniunctissimus, ita in eum benignitatis plurimum conferendum esse. Coniũctionis verò gradus sunt plurimi.

Præ. *Quinam sunt societatis humanæ gradus?*

*Dis.* Primus & latissime patens est vniuersi generis humani societas.

Præ. *Quodnam est eius vinculum?*

*Dis.* Ratio, & oratio, quæ docendo, dis-

cendo, communicando, disceptando, iudicando, conciliat inter se homines, coniungitq; naturali quadam societate.

Præ. *Quænam officia in hac societate hominibus tribuenda sunt?*

*Dis.* Ea quę descripta sunt legibus, & iure ciuili, & quicquid sine detrimento possit cōmodari, id tribuendum est vel ignoto. vt nō prohibere aquam profluentem, pati ab igne ignem capere, & si quis velit consilium fidele deliberanti dare, lumen de suo lumine accendere, & id genus alia.

## CAPVT 21.

pr. *Quotuplex sit societatis humanæ gradus reliqui?*

*Di* Societas eiusdem gentis, nationis, linguæ. Deinde ciuiū inter se. Prętera propinquorum, & eorū, qui connubiorū ratione nobis coniūcti sunt. Sed omniū societatū prę stātissima, & firmissima est amicorū, cùm viri boni, moribus similes, coniungūtur. Magna etiam cōmunitas est, quæ conficitur ex beneficiis, vltro, citroq; datis, acceptisq;: atqui omnium societatum gratissima, & charissima est ea, quæ cum rep. est vnicuiq; nostrū.

## CAPVT 22.

Præ. *Quid præterea de beneficentia & liberalitate dicit Cicero?*

*Dis* Dicit in omnibus societatis gradibus videndum esse quid cuique maximè ne-

cesse

cesse sit,& quid quisque nobiscum, aut sine nobis,aut possit consequi, aut non possit. Quandoque enim accidit, vt vicini necessitas, propinquorum vtilitati sit præferenda. Deinde admonet vt quæ officii præcepta traduntur,illa faciamus,exerceamusq;.

## CAPVT 23.

Præ. Q*uid in sequente capite?*

*Dis.* In sequente cap. viz. vicesimo tertio aggreditur disputationem de fortitudine:quam virtutem splendidissimam videri;ratione à contrario, & exemplis docet.

## CAPVT 24.

Pr. Q*uid agit Cicero in vicesimo quarto capite?*

*Di.* Docet esse quandā animi elationem quæ fortitudo esse videtur,& non est: itē in elatione,& magnitudine animi pertinaciam & nimiam principatus cupiditatem innasci, quibus ad res iniustas impelluntur homines.

pr. *Quæ animi elatio,vera fortitudo est dicenda?*

*Dis.* Ea quæ pugnat non pro suis commodis,sed pro salute communi,quæq; non sua cupiditate,ad labores,& pericula suscipienda,sed vtilitate ciuium impellitur.

## CAPVT 25.

Pr. Q*uid agit Cicero in vicesimo quinto capite?*

*Di,* Fortitudinem in duas diuidit partes, priorem q; partem publicem esse docet: deinde fortis viri quædam tradit officia.

Præ. *Quæ sunt fortitudinis partes duæ?*

*Dis.* Vna in rerũ externarũ despicientia ponitur: altera est res gerere, magnas illas quidẽ, & maxime vtiles: sed vehementer arduas, plenasq; laborum, & periculorum cum vitę, tum aliarum rerum ad vitam pertinentium.

Pr. *Quæ sunt rerũ externarũ despicientiæ partes?*

*Dis.* Prior est nihil nisi quod honestum, decorumq; sit, aut admirari, aut optare, aut expetere: posterior nulli neq; homini, neq; perturbationi animi, nec fortunę succumbere.

Præ. *Quæ sunt fortis viri officia?*

*Dis.* Vacandum est illi omni animi perturbatione. Vt metu, iracũdia, dolore, voluptate atq; cupiditate pecunię, & honoris. Deinde iis, qui habent à natura adiumenta rerũ gerẽdarum, adipiscendi magistratus sunt, & gerenda resp. est. Deniq; illis, qui in rerũ gerendarum deliberationem incidunt, considerãdũ est, ne aut temere desperẽt propter ignauiã, aut nimis confidant propter cupiditatẽ.

## CAPVT 26.

Præ. *Quid agit Cicero in vicesimo sexto capite?*

*Dis.* Docet res vrbanas, bellicis esse maiores idq; cum Græcorum, tum Romanorum propositis exemplis atq; imperatorũ, & eorum qui remp. in pace administrarunt, collatis rebus gestis.

CA-

## CAPVT 27.

Præ. *Vidagit in capite vicesimo septimo?*

*Dis.* QVioddã viri fortis, in bello tradit officium: nimirum in euertendis diripiendisq; vrbibus ne quid temere ne quid crudeliter fiat, sed vt fontes puniantur, multitudo autem conseruetur.

## CAPVT 28.

Pr. *Vidagit in capite vicesimo octauo?*

*Di.* Alia viri fortis, in bello tradit officia.

Præ. *Quænam sunt illa?*

*Dis.* Nunquam periculi fuga cõmittendum, vt imbelles, timidiq́ue videamur. Fugiendum etiam illud, ne offeramus nos periculis sine causa. Promptiores esse debemus ad nostra pericula, quàm ad communia, dimicareq; paratiores de honore, & gloria, quám de cæteris commodis: gloriam tamen nostram, publicę vtilitati, anteponere non oportet. Itaq; non Callicratidis, nec Cleombroti Lacedęmoniorum decum, sed Q. Fabii Max. Romanorum imperatoris exemplum est imitandum.

Prę. *Quid malè fecerunt Callicratides, & Cleombrotus?*

*Dis.* Callicradites cum Athenienſibus dimicare, classemq; Lacedęmoniorum amittere maluit, quàm eam ab Arginusis remouere, vt fugę ignominiã, & dedecus euitaret.

Cleombrotus verò, inuidiam timens, temerè cum Epaminunda conflixit, quo, cum exercitu seperato, Lacedæmoniorum opes corruerunt.

Præ. *Quid laude dignum fecit Q. Fab. max.*

*Dis.* Ille cum Hannibale conferere, & pugnam inire noluit, donec facile hostes se vincere posse cerneret: diuq; cunctatus, magnã sibi contraxit ignominiam: tandem adortus hostem, eum superabit, atque sibi gloriam, & reip. salutem recuperauit.

## CAPVT 29.

Pr. *Quid agit Cicero in capite vicesimo nono?*

*Di.* Quo Viri fortis in pace, quędam tradit officia.

Præ. *Quænam sunt illa?*

*Dis.* Vt se totum reip. tradat, non opes, non potentiam consectetur: sed vt vtilitatem ciuium fic tueatur, vt quicquid agat ad eam referat, oblitus eommodorum suorum: vt non partem aliquam, videlicet plebem relictis nobilibus, nec optimates deserta plebe, sed totum corpus reip. curet. Denique vt neminẽ crimmibus falsis in ödium, aut inuidiam vocet, omninoque ita iustitiæ, & honesti adhæreſcat, vt dum eam conseruet, quemuis graui ter offendat, mortemque oppetat potius, quàm hæc deserat officia.

CA-

## CAPVT 30.

Præ. *Quid agit Cicero in capite tricesimo?*

*Dis.* Docet testimonio Platonis & exemplo P. Africani, & Q. Metelli, viro magnanimo, ambitionē, honorumq; contētione esse fugiendā, vtpote reip. perniciosissimam.

## CAPVT 31.

Pr. *Quid agit in tricesimo primo capite?*

*Dis.* Dicit esse contra officium magnanimi grauiter irasci inimicis, aut aliis, quod nobis displicet faciētibus: ita tamen placabilitatē, mansuetudinē, & clementiam probandam esse, vt adhibeatur reip. causa seueritas.

## CAPVT 32.

Præ. *Quid agit in tricesimo secundo capite?*

*Dis.* Puniendi, & castigandi rationē tradit.

Præ. *Quænam est illa?*

*Dis.* Vt animaduersio, & castigatio contumelia vacet: vt non ad eius qui punit, sed ad reip. vtilitatem referatur: vt non maior sit pœna quàm culpa: vt qui eodem modo peccant, eodem modo plectantur, denique; vt magistratus, nunquam iratus ad pœnā accedat.

## CAPVT 33.

Præ. *Quid agit in tricesimo tertio capito?*

*Dis.* Præcipit vt in rebus secundis superbiam fastidiū, atq; arrogantiam fugiamus, vtq; in omni vita æquabilitatem seruemus,

idq; Socratis, C. Lelij, & Philippi, Macedonũ regis docet exẽplis, atq; Africani apothegmate. Deniq; consulit, vt in rebus prosperis consilio vtamur amicorũ, ne assentatoribus decepti, contra fortis viri officium faciamus.

## CAPVT 34.

Pr. *Quid agit in tricesimo quarto capite?*

*Dis.* Significat, etiam si illi maximè fortes sint appellandi, qui rẽpub. in bello, aut in pace bene administrant: esse tamen quosdam in vita ociosa magnanimos, qui re sua familiari cum honestate parta, rectè vtantur.

## CAPVT 35.

Præ. *Quid agit in capite tricesimo quinto?*

*Dis.* Aggreditur disputationem de temperantia: in qua continetur verecundia, modestia, omnisq; sedatio perturbationum animi, rerum modus, & decorum illud, quod Græcè τὸ πρέπον dicitur: Quod quomodo ab honesto differat, facilius intelligi, quàm explanari potest.

## CAPVT 36.

Prę. *Quid agit in tricesimo sexto capite?*

*Dis.* Enumeratione, & similitudine docet, decorum ad omnem honestatem pertinere: deinde idẽ diuidit in generale, quoddam decorum, & aliud huic subiectum, atq; vtrumque definit: denique ostendit quid interfit inter poẽticum & Philosophicum decorum.

eorum, item inter iustitiam, & verecundiam.

Præ. *Quomodo definit generale decorum?*

*Dif.* Decorum id est, quod consentaneum sit hominis excellētiæ, in eo, in quo natura eius à reliquis animantibus differat.

Præ. *Quomodo definit illud decorum, quod generali subiectum est?*

*Dif.* Hoc decorum est: quod ita naturæ consētaneum sit, vt in eo, moderatio, & temperantia appareat; cum specie quadam liberali.

Præ. *Quid interest inter poeticum, & Philosophicum decorum?*

*Dif.* Poëtæ in magna varietate personarum, tam vitiosis, quàm honestis, quid conueniat, & quid deceat videbunt: philosophi verò (quorum decorū non in scena, sed in vita elucet) videbunt quid cū ordine, cōstātia, & moderatione dictorum omnium, atq; factorum conueniat, ita vt approbationem eorum, quibuscum viuitur, moueat.

Præ. *Quid interest inter iustitiam, & verecundiam?*

*Dif.* Iustitiæ partes sunt: non violare homines: verecundiæ non offendere: in quo maxime perspicitur vis decori.

Præ. *Quorsum hæc omnia in hoc capite à Cicerone exponuntur?*

*Dif.* Vt magis intelligatur quale sit id quod decēre dicit.

CA-

## CAPVT 37.

Pr. *Quid agit in triceſimo ſeptimo capite?*

*Diſ.* Dicit decori vim in omnibus eſſe honeſti partibus, maximam verò in temperantia: eamq; diuidit in motus animi, & corporis, qui ad naturam ſunt accommodati.

## CAPVT 38.

Præ. *Quotuplex eſt animi motus?*

*Diſ.* Duplex. Vnus in appetitu ponitur, qui hominem huc, & illuc rapit: alter in ratione, quę docet, & explanat quid faciendum, fugiendumque ſit. Tum verò homines officium ſuum faciunt, cum appetitus rationi obtemperat, ita vt omnes omnium actiones temeritate, & negligentia vacent: atque ita ſe gerant homines, vt à natura generatos, nõ ad ludum, & iocum, ſed ad quædam ſtudia grauiora, atque maiora.

Pr. *An non licet ludo, & ioco vti?*

*Diſ.* Licet quidem, ſed vt ſomno, & quietibus ceteris: tum cum grauibus, ſeriiſque rebus ſatisfecerimus. Ipſumq; genus iocandi non profuſum, nec immodeſtum, ſed ingenuum, & facetum eſſe debet.

## CAPVT 39.

Prę. *Quotuplex eſt iocandi genus?*

*Diſ.* Duplex. Vnum illiberale, petulans, flagitioſum, obſcœnũ: alterum elegans, vrbanum, ingenioſum, facetum. Alter iocus,

si tempore sit, ac remisso animo, homine est dignus: alter ne libero quidem, si rerum turpitudini, adhibetur verborum obscœnitas.

## CAPVT 40.

Prę. *Quomodo ludo vti licet?*

*Dis.* Ludendi est modus adhibendus, vt ne nimis omnia profundamus: elatiq; voluptate, in aliquam turpitudinem delebamur.

## CAPVT 41.

P. *Qua ratione fiet vt ludēdi modis adhibeatur.*

*D.* Si in promptu habeamus quantum natura hominis, pecudibus, reliquisq; bestiis antecedat: ita ad corporis voluptatem (quod pecudum est) propensiores non erimus, nedum victum, cultumq; corporis ad voluptatem, sed potius ad valetudinem & ad vires referemus: nec luxuria diffluemus, sed parcè, continenter, seuerè, sobrieq; viuemus.

## CAPVT 42.

Prę. *Quotuplex est natura hominis?*

*Dis.* Duplex. Nam duabus quasi nos à natura personis indutos esse) inquit Cicero) quarum est communis, ex eoq; omnes participes sumus reliquis, præstantięq; eius, qua antecellimus bestiis: à qua omne honestum, decorumq; trahitur: altera, quę proprie singulis est attributa: ex qua maximę animorum varietates gignuntur: quod similitudine, atque multorum exemplis docet Cicero.

Præ.

Prę. *Quodnam de decoro præceptum Philoſophicum in hoc capite docet?*

*Diſ.* Nimirum ſic eſſe faciendum vt contra naturam vniuerſam nihil contendamus: ea tamẽ conſeruata, propriam naturam eſſe ſequendam, quod exemplis & aliis argumẽtis confirmat.

## CAPVT 43.

præ. *AN non ſunt aliæ hominis perſonæ, præter has, quibus à natura induti ſumus?*

*Diſ.* Sunt præterea duę. Vna, quem caſus aliquis (vt ille loquitur) vel tempus imponit talis eſt perſona regũ, imperatorũ, nobilium, honorificorũ, diuitum opulentorum, & eorũ, quorum vita eſt cõtraria: altera quam nobiſmetipſis iudicio noſtro accommodamus, vt cùm vitæ genus nobis conſtituamus.

## CAPVT 44.

Præ. *QVidnam de vitæ genera conſtituendo docet Cicero?*

*Diſ.* Multos, multa ſequi. Quidam enim ineunte adoleſcentia, vitæ genus deligunt. vt de Hercule ſcribitur apud Xenophontem: quidam multitudinis iudicio feruntur, quæque maiori parti pulcherrima videntur, ea maxime exoptant: Plerique verò patentum præceptis imbuti, ad eorum conſuetudinem moremq; deducuntur. In hac deliberatione,

&

& naturæ, non vitioſæ, & fortunæ ratio eſt habenda: ſed naturæ magis: Quã qui ſequitur, conſtantiam teneat. Quod ſi acciderit quenquam erraſſe in deligendo vitę genere, facienda eſt mutatio ſenſim, pedetentimq;. Denique de maioribus imitandis; hoc primũ exceptum ſit, ne vitia imitentur: deinde ſi quædam imitari non poſsint, illa pręſtare debemus, quæ in noſtra ſunt poteſtate.

## CAPVT 45.

Præ. *Vid præterea de decoro præcipit?*

*Diſ.* Docet quæ adoleſcentes deceant maxime, quæ ſenes, quæ magiſtratus, quæ priuatos: atque peregrinos: quis motus, & ſtatus corporis, atque animi: quis ſermo decorus. Deniq; quæ ædificia ſunt decora.

Prę. *Quæ decent adoleſcentes?*

*Diſ.* Adoleſcentis eſt maiores natu vereri, exhiſq; diligere probatiſſimos, quorum conſilio, atque authoritate nitatur. Maxime autem à libidinibus arcendi ſunt adoleſcentes, exercendique in labore, patientiaque & animi, & corporis. Hos deniq; temperantes, & verecundos eſſe oportet.

## CAPVT 46.

Prę. *Quæ decent ſenes?*

*Diſ.* Exercitationes animi illis augendæ ſunt, vt amicos, iuuentutem, & maxime remp. conſilio, & prudentia quàm plu-

plurimùm adiuuent. Languorum, desidiam, luxuriam, atq; libidinum intemperantiam, illos maxime cauere oportet.

## CAPVT 47.

Præ. *Quæ magistratus, & priuatos decem?*

*Dis.* Magistratus est officium, ciuitatis dignitatem, & decus sustinere, seruare leges, iura describere, & ea fidei suæ commissa meminisse: priuatum autem oportet æquo, & pari cum ciuibus iure viuere, neque submissũ & abiectum, nec se efferentem: tum in reip. ea velle, quæ tranquilla, & honesta sunt.

Prę. *Quid peregrinos decet?*

*Dis.* Peregrini, & incolæ officium est: nihil præter suum negotiũ agere, nihil de alio inquirere, minimeq; in aliena esse rep. curiosũ.

## CAPVT 48.

Præ. *Quis motus, & status corporis est decorus?*

*Dis.* Decorum in motu, & statu corporis, positum est in formositate, ordine, & ornatu, ad actionem apto: in quibus curam habere oportet, vt probemur iis quibuscum, & apud quos viuamus.

## CAPVT 49.

Prę. *Quæ cura est habenda vt probemur iis quibuscum viuamus?*

*Dis.* Curandum vt quas corporis partes natura occultauit, ab oculis hominum remoueamus,

ueamus, quarumq; partium vſus ſunt neceſſarii, nec eas, neq; earũ vſus, ſuis nominibus appellemus, quodq; facere, turpe nõ eſt, modò occulte, id non dicamus, quia obſcænũ. In ſtatu, inceſſu, ſeſſione, accubatione, vultu, oculis, manuũ motu, ab omni oportet fugere, quod abhortet ab ipſa oculorum, auriumque approbatione: in quibus hæc maxima ſunt curanda, ne quid effœminatum, aut molle, ne quid durum, aut reſticum ſit.

## CAPVT 50.

Præ. *Quid præterea de corporis motu præcipit Cicero?*

*Diſ.* Remoueatur a forma (inquit) omnis muliebris, ſeu viro non dignus ornatus: & huic ſimile vitium in geſtu, motuque caueatur. Itaque palæſtrici motus, & hiſtrionum nonnulli fugiendi ſunt. Cauendũ ne aut tarditatibus vtamur in greſſu mollioribus, aut in feſtinationibus ſuſcipiamus nimias celeritates. Deniq; adhibenda eſt munditia neque exquiſita nimis, neq; agreſtis: ſic veſtitu, mediocritas eſt optima.

Præ. *Nunquid præterea de animi motu præcipit?*

*Diſ.* Idem fere quod antea in capite triceſimo octauo: Maxime videlicet elaborandum eſſe, ne animi motus à natura recedant: vt ſi cauebimus ne in perturbationes, atque exanimationes incidamus; & ſi attentos animos

ad decori conſeruationē tenebimus. Cumq; motus animorum ſint duplices: cogitationis atque appetitus: cogitatio autem in vero exquirendo maxime verſetur, appetitus verò impellat ad agendum: curandum vt cogitatione ad res quam optimas vtamur, appetitū rationi obedientem præbeamus.

## CAPVT 51.

Prę. *Quid de ſermone, ſeu potius oratione decora docet?*

*Diſ.* Orationis vim eſſe duplicem: alteram contentionis, alteram ſermonis. Contentio diſceptationibus tribuatur iudiciorum, concionum, ſenatus: ſermo in circulis, diſputationibus, & congreſſionibus familiarium verſetur. Deinde vocem eſſe orationis iudicem: quam claram, & ſuauem eſſe oportet. literæ neq; expreſſę neq; oppreſſę, vox ſine contētione nec lāguens, nec canora: oratio deniq; vberior, nec minus faceta eſſe debet. Hæc verò præcipue ad contentionem ſpectant.

## CAPVT 52.

Præ. *Quis ſermo decorus?*

*Diſ.* Lenis minimeque pertinax. In ſermone communi, viciſſitudini vtēdum. Seriis rebus, ſeueritas: iocoſis leposadhibendus. Prouidendū ne ſermo vitium aliquod indicet in eſſe moribus. Nihil igitur de abſētibus detrahēdi cauſa, aut per ridiculum, aut ſeue-

re,

re,aut maledice,contumelioseq; loquendū. Oratio,si aberrare cœperit)ad illud reuocāda de quo sermones habentur. Sermo etiam delectationem habeat: & vt incipiendi ratio fuerit,ita sit desinendi modus:nec in eo ira, aut cupiditas aliqua,aut pigritia,aut ignauia, aut quid tale appareat,maximeq; curandum est,vt eos,quibuscum sermones conferimus, & vereri,& diligere videamur. Si obiurgationē vtendū sit,ira procul absit,cū qua nihil recte fieri,nihil considerate potest. Itaq; grauitate adiūcta,& seueritas adhibeatur,& cōtumelia repellatur. Deniq; in sermone de se ipso prædicare non oportet, falsa prę̄sertim: quod qui faciunt,cum irrisione audientiū,mi litem glorioſum imitantur.

## CAPVT 53.

Præ. *Vid de ædificijs docet Cicero?*

*Dis.* Q Ædificandi descriptionem, ad vsum(qui finis est domus)accommodandam esse,adhibita dignitatis, cōmoditatisq; diligentia:cum cura etiam laxitatis,si domus sit clara hominis, in quam & hospites multi recipiendi sunt,& admittenda hominis cuiusque generis multitudo: Aliter ampla domus dedecori domino sæpe sit,si est in ea solitudo. Cauendum est etiam edificanti, ne extra modum sumptu, & magnificentia prodeat.

## CAPVT 54.

Pr. *Quid præterea de decoro præcipit?*

*Dis.* In omni actione suscipiēda, tria esse tenenda: primum, vt appetitus rationi pareat: deinde vt animaduertatur, quanta illa res sit, quam efficere velimus, vt neue maior, neue minor cura, & opera suscipiatur, quàm causa postulet: tertiū vt caueamus, vt ea quæ pertinent ad liberalē speciem, & dignitatem moderata sint. Horum autem trium, præstātissimum est, appetitū obtemperari rationi.

## CAPVT 55.

Prę. *Quid præterea in hoc tractatu agit?*

*Dis.* De ordine rerum, & temporū opportunitate dicturus, quasdam voces ad hunc tractatum pertinentes definit: nimirū εὐταξίαν, εὐκαιρίαν, & ordinem.

Prę. *Quid est εὐταξία?*

*Dis.* εὐταξία illa, in qua intelligitur ordinis conseruatio, quam & modestiam appellare licet: est scientia earum rerum, quæ agentur, aut dicentur, loco suo collocandarū. Vel est scientia opportunitatis idoneorum ad agendum temporum.

Prę. *Quid est εὐκαιρία?*

*Dis.* Est tempus actionis opportunum.

Præ. *Quid est ordo?*

*Dis.* Est compositio rerum, aptis, & accōmodatis locis.

CA-

## CAPVT 56.

Prę. *Quis est actionum ordo adhibēdus?*

*Dis.* Quis qui in definitionibus describitur superioribus, nimirū vt omnia loco, & tēpore opportuno fiant: vt in vita, omnia sint apta inter se, & conuenientia: ita vt eorū approbationem, quibuscū viuitur, moueant.

Prę. *Quæ huic ordini repugnant?*

*Dis.* In re seuera, conuiuio dignum, aut delicatum aliquem inferre sermonē, & contrâ, in conuiuio meditari, aut aliquid, aliud attentius cogitare, in foro cantare, & alia huius generis peruersa facere: Ab his, & alijs paruis delictis, quæ a multis intelligi non possunt, diligentius est declinandum.

Præ. *Quomodo intelligemus illa parua, quæ ab actionum ordine discrepant?*

*Dis.* Si diligentes iudices esse volumus, animaduersoresq; vitiorum, ex oculorū obtutu, ex superciliorū aut remissione, aut contractione, ex mœstitia, ex hilaritate, ex risu, ex locutione, ex reticentia, ex contentione vocis, ex submissione, & cęteris similibus, facilè iudicabimus, quid eorum aptè fiat, quid ab officio, naturaq; discrepet. Prętera si quid in aliis cernamus, quod dedeceat, ex illis facilius iudicare licet, quid nobismetipsis vitandū sit. Denique adhibere doctos homines oportet, vel etiam vsu peritos, & quid his de vnoquo-

que officii genere placeat exquirere.

Prę. *Quænam statuit Cicero ea esse quæ ad honestum actionum ordinem pertinent?*

*Dis.* Illa facere quæ more aguntur, & institutis ciuilibus, cynicorum rationem vitare, verecundiã seruare, eos quorum vita perspecta est in rebus honestis, bene de rep. sentientes, honore aliquo affectos obseruare, & colere: tribuere multum senectuti, cedere iis qui magistratum habebunt, habere delectum ciuis, & peregrini, denique communem totius generis hominum consociationem colere, tueri atque seruare.

## CAPVT 57.

Prę. *AN quicquam præterea in hoc tractatu agit?*

*Dis.* Quædam scribit de artificiis, & quæstibus: quosdã liberales habendos esse, quosdam verò illiberales.

Præ. *Qui liberales quæstus habendi sunt?*

*Dis.* Quæstus mercenariorum, & eorum omnium, quorum artes emuntur, & eorum qui mercantur à mercatoribus, quod statim vendant. Item artes omnium opificum, maximeque illæ, quæ Ministræ sunt voluptatũ, vt cetariorum, laniorum, coquorum, fartorum, piscatorum, his addas vnguentarios saltatores totumque ludum talarium.

Præ. *Quæ artes sunt liberales?*

Dis.

*Dis.* Medicina, Architectura, doctrina rerum honestarum, Mercatura magna, & copiosa: denique Agricultura, qua nihil melius, nihil vberius, nihil dulcius, nihil homine libero dignius.

## CAPVT 58.

Præ. *Quid præterea in primo officiorum libro agit Cicero?*

*Dis.* Absoluta prima quæstione: Honestũne factu sit, an turpe, quod in deliberationem cadit, transit ad secundam: Duobus propositis honestis, vtrum honestius.

Præ. *Quid de hac quæstione, id est de honestorum comparatione scribit?*

*Dis.* Pluribus contendit, officiis prudentiæ præponenda esse officia iustitiæ.

Præ. *Quibus argumentis sententiam suam confirmare conatur?*

*Dis.* Primò à necessitate societatis humanæ, & communitatis, ex qua iustitiæ promanant officia. Hęc enim communitas adeo necessaria est, vt si quis omnium rerum affluentibus copiis ditetur, quamuis omnia cognitione digna cõtempletur, tamen si hac careat, excedat è vita necesse est. deinde à dignitate iustitię, quę in sapientia illa cõtinetur, quam σοφίαν Græci vocant, quæ omnium virtutum princeps est.

Præ. *An non eadẽ res est: Sapientia, & prudentia?*

*Dis.* Nequaquam. Prudentia enim est sola scientia rerum expetendarum, fugiendarũq;. Illa autem (quam dixi) sapientia, est rerum diuinarum, atq; humanarum scientia, in qua continetur Dei, & hominum communitas, & societas inter ipsos.

Præ. *Quibus præterea argumentis docet, Prudentiæ officijs anteponenda esse officia iustitiæ?*

*Dis.* Factis & exemplis optimorum: qui omnia cognitionis officia relinquent, & abiicient, quæcunque illa sint vt patriæ, in periculo, & discrimine constitutæ subueniant, & opitulẽtur: Deinde omnem cognitionẽ, atq; scientiam suam, ad aliorum vtilitatem, (quod iustitiæ munus est) retulerunt: doctrinæ studiis, iustitiæ adiunxerunt officia: quod Lysię, Platonis, & sui ipsius ostendit exemplis.

## CAPVT 59.

Prę. *Quid præterea de honestorum comparatione scribit?*

*Dis.* Pauca addit de comparatione Iustitiæ, & Temperantiæ. Sunt quædam (inquit) partim ita fœda: partim ita flagitiosa, moderationi, modestiæque repugnantia, vt ea ne conseruandæ quidem patriæ causa, sapiens facturus sit. quo argumento à contrario persuadere sibi videtur temperantiæ munera quædam, anteponenda esse iustitiæ officiis: tamen quia non potest accidere tempus, vt

interfit

interſit reip. quicquam illorum facere ſapientem: in officiis deligẽdis, id genus officiorum excellere ait, quod teneatur hominum ſocietate. Deniq; in ipſa communicate, gradus officiorum eſſe dicit: vt prima deo immortali, ſecunda patrię, tertia parentibus, deinceps gradatim, reliqua reliquis debeantur.

# QVAESTIONES IN LIBRVM SECVNDVM.

## CAPVT PRIMVM.

Præ. QVID *agit Cicero in ſecundi libri capite primo?*

*Diſ.* Primo totius libri argumẽto propoſito, rationem reddit, cur à negotiis publicis ſe remouẽs, ad Philoſophiæ ſtudium ſe contulerit, tantũque operæ, & temporis in ea poſuerit. Hic obiter quędam diſputat in Philoſophię laudẽ. Deniq; occurrit obiectioni eorum, qui dicũt, eum non ſatis conſtanter facere, qui (cum Academicus ſit, cuius ſectæ philoſophi, nihil percipi poſſe dicant) tamen prędepta officii perſequatur.

Præ. *Quodnam est totius libri argumentum*

*Dis.* Id quod in primi libri capite quarto propositum erat, videlicet: vt doceat quid vtile, quid inutile, tum ex vtilibus, quid vtilius, aut quid maxime vtile.

Præ. *Quomodo Philosophiam laudat?*

*Dis.* Ab etymo, seu etymologia nominis, à definitione, postremo ab effectibus philosophiæ.

Præ. *Quodnam est Philosophiæ etymon, seu nominis interpretatio?*

*Dis.* Studium sapientię.

Præ. *Quid est sapientia?*

*Dis.* Est rerum diuinarum, & humanarum, causarūq; quibus hę res cōtinentur, scientia.

Præ. *Quid est Philosophia?*

*Dis.* Est ars, per quam assequamur bene beateque viuendi rationem. In hac definitione quidam philosophiæ effectus continentur.

Præ. *Qui sunt eius effectus?*

*Dis.* Primo valet ad bene, beateq; viuendum: deinde ad delectationem animi, requiemque curarum.

## CAPVT 2.

Præ. *Quid agit Cicero in libri secundi capite secundo?*

*Dis.* Libri argumento repetito, docet confusa esse hæc: Honestū, & vtile, atque cogita-

tione

tione solummodo distingui, nimirū non honestum esse aliquid, quod vtile nō esset. nec vtile, quod non honestum. Itaq; concludit, honestis consiliis, iustisq; factis, nō fraude, & malitia, ea quę vtilia sunt consequenda esse.

## CAPVT 3.

Præ. *Quid agit in libri secundi capite tertio?*

*Dis.* Quę precedenti capiti diuisionē earum rerum annectit, quæ ad vitam hominū tuendam pertinent: deinde quomodo fructus, vtilitatesque ex iisdem percipiantur docet.

Prę. *Quomodo res vtiles, atq; fructuosas diuidit?*

*Dis.* Hæ (inquit) partim animatæ sunt, partim inanimatæ. Animatarum aliæ sunt rationis expertes, alię ratione vtentes. Ratione vtentium duo genera ponuntur, vnum est rerum incorporearum, vt Deus, & Angeli, quos ille deos appellat: alterum corporearū, cuius generis sunt homines.

Prę. *Quomodo ex rebus inanimatis, & ex animatis rationis expertibus, fructus & vtilitates percipiamus?*

*Dis.* Quę in rebus inanimis, & etiam animatis rationis expertibus, id est: quę in vsu, & tractione belluarum fiunt vtiliter ad hominum vitam, artibus ea tribuuntur operosis. Hęc enim hominum manu, operis, & artibus efficiuntur: valetudinis curatio, nauigatio, agricultura, frugum, fructumque

reliquorum perceptio, & conſeruatio, earum rerum quibus abūdemus exportatio, & earū quibus egeremus inuectio, lapides è terra excīſi, ferrum, aurum, æs, argentum, effoſſa, tecta, ductus aquarum, deriuationes fluminum agrorum irrigationes, moles oppoſitæ fluctibus, portus manu facti, Vrbes deniq;, leges, iura, certaq; viuendi diſciplina, per quæ bene, beateq; viuitur.

Præ. *Quomodo ex rebus animatis ratione vtentibus, vtilitates percipiamus?*

*Diſ.* Deum placatum, beneuolumque pietas efficit, & ſanctitas: Hominum autem, ſtudia, ad amplificationem noſtrarum rerum prompta, & parata, virorum præſtantium ſapientia, & virtute excitantur.

Præ. *In quot rebus ponitur virtus?*

In tribus: quarum vna eſt in perſpiciendo, quid in quaque re verum, ſyncerumque ſit, quid conſentaneum cuiq;, quid conſequens, ex quo quæq; gignantur, quæ cuiuſq; rei ſit cauſa. alterum cohibere motus animi turbatos, (quos Græci πάθη nominant) appetitioneſq; (quas illi ὁρμὰς) obedientes efficere rationi. Tertium iis, quibuſcum congregamur, vti moderatè, & ſcienter: quorum ſtudiis ea quæ natura deſiderat, expleta, cumulataque habeamus, per eos deniq; ſi quid importetur nobis incommodi, propulſemus.

CA-

## CAPVT 4.

Præ. *QVonam modo hominum ſtudia, ad vtilitates noſtras allicere, atque excitare poſſumus?*

*Diſ.* Quæcunque homines homini tribuunt, ad eum augendum, atq; honeſtandum; aut beneuolentiæ gratia faciunt, cum aliqua de cauſa quempiam diligunt: aut honoris, ſi cuius virtutem ſuſcipiunt, & ſi quem dignũ fortuna quàm ampliſſima putant, aut cui fidem habent, & bene de rebus ſuis conſulere arbitrantur: aut cuius opes metuũt: aut contrà à quibus aliud expectant: aut cum reges, populareſue homines, largitiones aliquas proponunt: aut poſtremò precio, ac mercede ducuntur: quę ſordidiſſima quidem eſt ratio, & inquinatiſsima, & iis qui ea tenentur, & illis, qui ad eam confugere conantur. Hæc in quarto capite à Cicerone proponuntur.

## CAPVT 5.

Præ. *QVid agit in quinto capite?*

*Diſ.* QRerum omnium (inquit) nec aptius eſt quicquam ad opes tuendas, ac tenendas, quàm diligi, nec aliemus quàm timeri. Itaque merum, exitioſum eſſe & principibus remp. gubernantibus, & etiam rebus publicis, quibuſdam docet argumentis, præcipue exemplis externis & domeſticis. Hoc cum fecerit, gloriam proponit de qua diſputet,

ret, quoniam ea in rebus maioribus administrandis adiuuat plurimum.

## CAPVT 6.

Præ. *EX quibus rebus constat gloria?*

*Dis.* Summa, & perfecta gloria constat ex his tribus: Si diligit multitudo, si fidē habet, si cum admiratione quadam, honore dignos putet remp. capessentes.

## CAPVT 7.

Præ. *QVibus rationibus fiet vt eos diligat multitudo?*

*Dis.* Beneficiis maxime, secundò benefica voluntate, si res forte non suppetit: item ipsa fama, & opinione liberalitatis, beneficentiæ, iustitię, fidei, omniumq; earum virtutum, quę pertinent ad mansuetudinem morum, ac facilitatem.

## CAPVT 8.

Pr. *QVibus rebus efficitur vt habeatur fides?*

*Di.* Duabus: prudentia, & Iustitia. Nam & iis fidem habeamus, quos & futura prospicere credimus, & cum res agatur, in discrimenque ventum sit, expedire rem, & consilium extempore capere posse: Iustis autem, & fidis hominibus, in est viris bonis ita fides habetur, vt nulla sit in his fraudis, iniuriæue suspicio. Itaq; his salutē nostrā, his fortunas, his liberos rectissime committi arbitramur.

Pr. *Vtra harū rerum ad fidē faciendum plus pollet.*

*Dis.*

*Dis.* Iustitia quippe cùm ea sine prudentia satis habeat authoritatis, prudentia sine iustitia, nihil valeat ad faciendam fidem.

## CAPVT 9.

Præ. *QVæres maximè administrationem hominum excitant?*

*Dis.* Eos admiramur & suspicimus, in quibus existimamus nos excellentes quasdam & singulares virtutes perspicere.

Præ. *An igitur improbos omnes contemnimus?*

*Dis.* Minime. Nam maledicos, fraudulentos, & ad faciendam iniuriam instructos, non despicimus illos quidem, sed metuimus, aut de his male existimamus.

Præ. *Quos igitur contemnimus?*

*Dis* Eos in quibus nihil virtutis, nihil animi, nihil neruorum in esse putamus: qui nec sibi, nec alteri prosunt: in quibus nullus labor nulla industria, nulla cura est.

Præ. *Quæ sunt illæ virtutes, quæ admirationẽ hominum excitant?*

*Dis.* Iustitia & rerum eternarum despicientia. Nam eos admiramur, qui anteire cæteros ijs virtutibus putantur: Iustitia, atque vitę, mortis, diuitiarum, paupertatis despicientia: necnon illos qui cum omni carent dedecore, tum vero iis vitiis, quibus alii non facile possunt obsistere: vt doloribus in rebus aduersis, & voluptatibus blandissimis do-

dominis, quę sæpe maiores partes animę à virtute detorquent.

Præ. *Simulatione igitur, inani ostentatione, ficto sermone, atq; vultu, gloriā consequamur. Nam his rebus fieri potest, vt homines nos iustos & prudentes existiment.*

*Dis.* Etsi his rebus hominum animos, ad tempus fallere possimus, tamen stabilem gloriam his consequi nemo potest. Nam ficta omnia celeriter, tanquàm flosculi decidunt, nec simulatum potest esse quicquam diuturnum. Qui igitur adipisci veram gloriam volunt, Iustitię fungantur officiis. Hæc fusius nono capite, à Cicerone disputantur.

## CAPVT 10.

Præ. Q*uid agit decimo capite?*

*Dis.* Alias proponit virtutes quibus gloria comparari potest, & quę multitudinis animos ad beneuolentiam alliciant.

Prę. *Quænam sunt illæ?*

*Dis.* Fortitudo bellica, & res gestæ in bello: modestia, pietas in parentes, & in suos beneuolētia: comitas, affabilitaq; sermonis, atq; eloquentia, præcipue in iudiciis: vt defensio, & accusatio: Laudabilior verò est defensio.

Præ. *Quæ de accusatione præcepta tradit?*

*Dis.* Vt semel, aut non sæpe fiat: Sin erit, cui faciendū est sæpius, reip. tribuat hoc muneris: cuius inimicos vlcisci sæpius non est repre-

reprehendendum. Hoc etiam præceptum officii diligenter tenendum est, ne quem vnquam innocentem iuditio capitis arcessas.

## CAPVT II.

Pr. *QVenam præterea virtutes multitudinis animos, ad benevolentiam alliciunt?*

*Dis.* Beneficentia, & liberalitas.

Pr. *Quibus modis benignè fit indigentibus?*

*Dis.* Opera, & pecunia.

Pr. *Vtra harum rationum est præstantior?*

*Dis.* Liberalitas quę opera fit, lautior, splendidior, & honestior est, latiusq; patet: ac viro forti, claroque dignior est: quoniam ex virtute depromitur: qua qui vtuntur, consuetudine beneficentiæ paratiores erunt, & tanquam exercitatiores ad bene de multis promerendum.

Pr. *Quomodo liberalitate, quæ pecunia fit, vtendum est?*

*Dis.* Nonnunquam largiendum est idoneis hominibus indigentibus, diligenter, nō inconsultè. Modus etiam absit, isq; referatur ad facultates. aliàs qui largitione vtuntur, prodigi potius, quam benefici dicantur.

Prę. *Quæ largitionum genera, prodigalitatis nomen habent?*

*Dis.* Epulę, viscerationes, gladiatorum munera, ludorum, venationumque apparatus,

tus, Theatra, porticus, noua templa. &c. quę pueris, mulierculis, seruis, & liberis seruorum similimis grata esse solent: graui vero homini, & ea quæ fiunt, iudicio certo ponderanti, probari nullo modo possunt.

Prę. *Quæ largitionum genera beneficentiæ nomen habent?*

*Dis.* Captos à prædonibus redimere, æs alienum suscipere amicorum, illos in filiarum collocatione adiuuare, illis in re quærenda, aut augenda opitulari. Hæ item impensæ: Muri, naualia, portus, aquarũ ductus, & quęcunq; præterea sunt necessarię, aut vtiles vniuersis, aut singulis.

## CAPVT 12.

Præ. *Quænam præterea de hoc liberalitatis genere præcepta tradit Cicero?*

*Dis.* Propensior benignitas esse debet in calamitosos, quam in eos qui res meliores quærunt, nullis suis rebus aduersis. In his tamen adiuuãdis, restricti omnino nullo modo esse debemus: sed in deligendis, idoneis, iudicium, & diligentiam adhibere. Nam præclare. Ennius: Benefacta male locata, malefacta arbitror. Iudicio adhibito redimendi sunt è seruitute capti: locupletandi tenuiores: conuenit tum in dãdo munificũ esse, tum in exigẽdo non acerbũ: in omniq; re contrahenda, vendendo, emendo, conducendo, locando, vi-

vicinitatibus, & confinijs æquum, & facilem, multa multis de iure suo concedentem à litibus verò quantum liceat, & paulo plus etiã quàm liceat, abhorrentem: & in ciues & homines externos hospitalem esse: ita vt & illiberalitatis, auaritiæque absit suspitio, & etiam rei familiaris habeatur ratio: quam quidẽ dilabi sinere flagitiosum est.

## CAPVT 13.

Pr. *Vid de altero liberalitatis genere docet?*

*Di.* Quæ opera, beneficia dantur, tum in vniuersũ remp. tum in singulos ciues conferuntur: Huius generis sunt in iure cauere, consilio iuuare, multorum causas, non grauate sed gratuitò defendere: quæ in iure ciuili, & eloquentia cernuntur officia. Cum autem omnes non possint, ne multi quidem esse aut iurisperiti, aut diserti, licet tamen opera prodesse multis commendando iudicibus, aut magistratibus beneficia petentem: vigilãdo pro re alterius: eos ipsos qui aut consulunt, aut defendunt, rogando.

## CAPVT 14.

Præ. *Vide de hoc liberalitatis genere præcepta tradit?*

*Dis.* In hominibus iuuandis mores spectãdi, non fortuna. Itaq; melius apud bonos, quàm apud fortunatos beneficiũ collocare: quod cum multis argumentis confirmauerit,

hoc etiam addit: Quod si diues, etiam bonus erit vir, ne impediant diuitiæ quò minus iuuetur: sitq; omne iudicium, non quàm locuples, sed qualis quisq; sit. Denique in beneficiis, operaq; danda, ne quid contra æquitatem contendere, ne quid per iniuriam oportet. Fundamentum enim perpetuę commendationis, & famę, est Iustitia, sine qua nihil potest esse laudabile. Hęc de eo beneficiorū genere quæ ad singulos spectant, dicta sunt.

## CAPVT 15.

Pr. *QVæ de ijs beneficijs quæ ad vniuersos, quæq; ad remp. pertinent, præcepta tradit?*

*Dis.* Hæc etiam in duo genera diuidit. Nam partim eiusmodi sunt, vt ad vniuersos ciues pertineant, partim singulos vt attingant: quę sunt etiam gratiora. Danda est opera omnino, si possit vtrisq;, nec minus vt etiam singulis consulatur. Inprimis autem videndum erit, ei, qui remp. administrabit, vt suum quisq; teneat, neq; de bonis priuatorum publicè diminutio fiat. Dāda etiam. opera est, ne quod propter ærarij tenuitatem, assiduitatemque bellorum, tributum sit cōferendum, idq; ne eueniat, multo ante erit prouidendum.

## CAPVT 19.

Præ. *QVid præterea de hoc liberalitatis genere docet?*

*Dis.*

*Dis.* In omni procuratione negotii, & muneris publici, auaritię pellendam esse, etiã minimã suspicionum. Quæ quanta reip. pestis sit, docet testimonio C. Pontii Samnitis, & oraculi Apollinis. Hic obiter abstinẽtiam, & continentiam laudat. Deinde contra legẽ, agrariam, & tabulas nouas disputat: quæ cõcordiam, atque æquitatem tollunt, & respeuertunt. Quę pestes, vt euitentur, prouidẽdum, ne sit æs alienum quod reip. noceat. Omnino ab hoc genere largitionis, vt aliis detur, aliis auferatur, aberunt ii, qui remp. tuebuntur: imprimisque operam dabunt, vt iuris, & iudiciorum æquitate suum quisq; teneat: & neq; tenuiores propter imbecillitatẽ circumuentantur, neque locupletibus ad sua vel tuenda, vel recuperãda obsit inuidia. Deniq; quibuscunque rebus vel belli, vel domi poterunt, remp. augeant imperio, agris, vectigalibus.

## CAPVT 17.

Prę. *Q Vid præterea in hoc libro docet Cicero?*

*Dis.* Valetudinis, & pecuniæ curationem non esse negligendam.

Præ. *Quibus rebus sustentatur valetudo?*

*Dis.* Notitia sui corporis, & obseruatione earum rerum, quæ aut prodesse soleant, aut obesse, & continentia in victu omni, atq;

cultu, corporis tuendi causa: & prętermittendis voluptatibus postremo arte eorum, quorum ad scientiam hęc pertinent.

Præ. *Quid de pecuniæ curatione præcipit?*

*Dis.* Res familiaris quæri debet iis rebus à quibus abest turpitudo, conseruari autem diligentia, & parsimonia, iisdem etiam rebus augeri.

## CAPVT 18.

Prę. *Quid præterea agit Cicero in hoc libro?*

*Dis.* Quæ finita priore quæstione de vtili, accedit ad alteram, id est vtilitatum comparationem.

Pr. *Quomodo de hac quæstione disputat?*

Prę. Docet quę cōmoda comparari solent: nimirū corporis commoda cum externis: & ipsa inter se corporis: & externa cū externis. Hic (quia ad hunc locum pertinet) interserit illud Catonis senis, qui exposita sententia de iis quę maximè in re familiari expedirent, tandem interrogatus quid esset fœnerari, Quid hominem (inquit) occidere.

(***)

# QVAESTIONES IN LIBRVM TERTIVM.

## CAPVT PRIMVM.

Præ. VID *agit Cicero in libri tertij capite primo?*

*Dis.*

Suum otium cum P. Scipionis otio confert: Deinde quomodo otio fruatur docet: denique quare de officiis ad filium scribat, rationem reddit: eumq; ad huius doctrinę studium cohortatur.

Prę. *Vid agit in capite secundo?*

*Dis.* Quærit an rectè inducta sit cõparatio vtilis, cum honesto. Cõstat hanc comparationem non oportare fieri, quoniam vtile & honestum nunquã pugnant. Hęc tamen comparatio fieri solet ab iis, qui omnia metiuntur emolumentis, & commodis, non ab iis, qui conseruatione officiorum existimantur, boni. Dubitatio autem accidere solet, quale sit id de quo consideretur, sit né honestum, an turpe, quod vtile est. Sępe enim fit vt quod plerumque turpe haberi soleat, inueniatur nõ esse turpe. Vt cum quis tyrannum occidit familiarem: videtur vtilitas vicisse honestatem, honestas tamen vtilitatem secuta est.

## CAPVT 3.

Prę. *Quid agit in tertio capite?*

*Dif.* Formulam quandam constatuit, quam si sequemur in comparatione rerum, nūquàm ab officio recedemus, sed sine vllo errore diiudicabimus, si quando cum illo quod honestum intelligimus, pugnare id videtur, quod appellamus vtile.

Prę. *Quænam est illa formula?*

*Dif.* Vt omnibus propositum sit, eandem esse vtilitatem vniuscuiusq;, & vniuersorum & hominem homini detrahere sui commodi causa magis esse contra naturam, quàm omnia incommoda subire vel externa, vel corporis, vel etiam ipsius animi, quæ vácent iustitia. Hæc enim vna virtus omniū est domina, & regina virtutum. Huius formulæ veritatem pluribus confirmat argumentis.

## CAPVT 4.

Pr. *Quid ex hac formula sequitur?*

*Di.* Nulla turpia, quāuis vtilitatis speciem habeant, esse vtilia. Nihil.n.tam est secūdum naturam quàm vtilias, nec quicquā est tam contra naturam quàm turpitudo. Itaq; in eadem re vtilitas, & turpitudo esse nō potest, quia cōtraria. Cum igitur turpitudinem videas adiūctam ei rei, quę speciem vtilitatis attulerit, vtilitas requirenda non est. Cum enim homines non probi, aliquid quod vtile

visum

visum est, secernũt ab honesto: sicæ, venena, falsa testamenta nascuntur, item furta, peculatus, expilationes, direptiones q; sociorum, & ciuium, & regnandi cupiditates existunt, quibus nihil tetrius, nec fœdius excogitari potest. Quare hoc deliberantiũ genus pellatur è medio, qui deliberant vtrũ id sequantur, quod honestum esse videant, an se scientes celere contaminent, sui cõmodi causa. In ipsa enim dubitatione facinus inest, etiamsi ad id non peruenerint. Bonus autem vir, si Deum, hominesq; celare possit, nihil tamen auare, nihil iniuste, nihil libidinose, nihil incontinenter esse faciendum putat. Honesta enim bonis viris, non occulta quæruntur.

## CAPVT 5.

Præ. *Negligendane igitur omnino est nostra vtilitas?*

*Dis.* Nequaquam. Non enim hoc vult Cicero, nostras vtilitates omittendas esse aliisq; tradendas cum his ipsi egeamus, sed suæ cuique vtilitati seruiendum esse, quod sine alterius iniuria fiat. Nam superiore lib. ca. 12 docuit rei familiaris habendam esse rationem, quàm dilabi sinere flagitiosum est.

## CAPVT 6.

Præ. *Quid præterea docet de hac dubitatione, honestumne factu sit, an turpe, quod videatur vtile?*

*Dis.* Docet quantam tribuendum sit amicis cum nostra egent opera.

Pr. *Quid hac de re præcipit?*

*Dis.* Quæ videntur vtilia, honores, diuitię, voluptates, & cætera generis eiusdem hęc amicitię nunquam sunt anteponenda: at neq; contra remp. neq; contra iusiurandum, ac fidem amici causa vir bonus faciet: ne si iudex quidem erit de ipso amico. Ponit enim personam amici, cum induit iudicis. Hæc summa est sexti capitis.

## CAPVT 7.

Præ. *Quid agit in septimo capite?*

*Dis.* Plurimis docet exemplis nihil in reip. administratione faciendum esse crudeliter, nihil in humaniter: nec quicquam quod turpe sit, vtile esse putandum. Hoc enim ipsum (inquit) vtile putare, quod turpe sit, calamitosum est.

## CAPVT 8.

Præ. *Quid agit in octauo capite?*

*Dis.* Duas proponit quęstiones, seu causas de re contrahenda, & in vtrāq; partē duos philosophos, Diogenem & Antipatrū differentes,

Præ. *Quæ sunt illæ quæstiones?*

*Dis.* Prior est de venditione frumenti: Si vir bonus Alexandria Rhodum, magnum frumenti numerum aduexerit, in Rhodiorū inopia,

inopia, & fame, summaq; annonę caritate, si idem sciat cõplures mercatores Alexandria soluisse, naueſq; in cursu, frumento onustas, petentes Rhodum viderit: dicturusne id sit Rhodius, an silentio suum quàm plurimo vẽditurus? Posterior quęstio est de ædiũ venditione: Quæritur si quis ædes propter aliqua vitia vendat, quę ipse nôrit, cæteri ignorẽt, & hoc emptoribus venditor non dixerit, ędesq; vendiderit pluris multo quàm se venditurũ putarit: num id iuste, an improbe fecerit?

## CAPVT 9.

Præ. *Quid agit in uoro capite?*

*Dis.* Superioris capitis quæstiones diiudicat: dicens: non videtur nec frumentarius ille Rhodius, nec ædium venditor celare emptores debuisse.

Præ. *Quid est celare?*

*Dis.* Cũ quod tu scias, id ignorare emolumẽti tui causa velis eos, quorum interſit, id scire.

Pr. *Quid præterea in hoc capite agit?*

*Dis.* Reprehendit eos, qui non modo mercium vitia reticent, sed etiam orationis vanitatem adhibent, vt sua pluris vendant simulantes, & mentientes multo pluris esse quàm sint. Hic narrat versutum factũ Pythii argentarii, qui Caium Cannium, equitem Romanum, in hortulorũ venditione fefellit, atq; etiam pluribus verbis de dolo malo disserit.

Pr.

Prę. *Quid eſt dolus malus?*

*Diſ.* Dolus malus eſt, cum aliud ſimulatum, aliud actũ eſt. ita in ſimulatione, & diſſimulatione continetur. Diſsimulatio tamen apud homines ſapiẽtia habetur. Hinc pernicies maxima: quòd alios bonos, alios ſapientes exiſtimant. Hi de ſapientia male iudicãt.

Pr. *Quodnam eſt Ciceronis, de ſapiẽtia iudicium?*

*Diſ.* Idem eſſe ſapienter, & honeſte facere, atque idem etiam vtile eſſe, & quod contra fit inutile. Nunquã (inquit eſt vtile peccare, quia ſemper eſt turpe, & quia ſemper eſt honeſtum virum bonum eſſe, ſemper eſt vtile. Ita eadem vtilitatis, quæ honeſtatis eſt regula. Has res, natura copulatas, errore diuellere: fons eſt fraudum, maleficiorum, ſcelerum omnium.

Præ. *Quodnam eſt aliorũ de ſapientia iudiciũ?*

*Diſ.* Male ſentire videtur Ennius, ſapientiam ab honeſto ſeprans, vbi dicit: Nequicquã ſapere ſapientem, qui ipſe ſibi prodeſſe nequiret. Verè tamen, ſi quid eſſet prodeſſe, illi cum Cicerone conueniret. Male etiam Hecaton Rhodius. Panetii diſcipulus: qui ſapientis eſſe dicit, nihil contra mores, leges, inſtituta facientem, habere rationem rei familiaris.

Pr. *Quid intereſt inter Ciceronis, & Hecatonis iudicium?*

Diſ.

*Dif.* Cicero vt philoſophus (qui in tollẽdis aſtutiis naturæ leges ſequitur) Hecaton vero potius vt iuriſconſultus (qui honeſtum moribus, legibus, & inſtitutis metitur) de ſapientia differit.

Præ. *Quomodo leges, quomodo verò Philoſophi tollunt aſtutias?*

*Dif.* Leges quatenus manu tenẽre res poſſunt. Philoſophi quatenus ratione, & inteligentia. Ratio vero poſtulat, ne quid inſidioſe, ne quid ſimulare, ne quid fallaciter fiat. Cicero vero omnem relicentiam in vitioſis mercibus vendendis, ab honeſto (quod naturæ lege ſancitum eſt) eleganti ſimilitudine excludit.

Præ. *Quænam eſt illa?*

*Dif.* Sicut ſunt inſidię tendere plagas, etiamſi excitaturus non ſis, nec agitaturus (ipſę enim feræ, nullo inſequente, ſæpe incidunt) ſic eſt fallaciter atq; inſidioſe facere cum ędes vitioſas proſcribas, tabulam tanquam plagam ponas, domum propter vitia, quę retices, vendas, atq; in eam aliquis incurrat imprudens. Quod de ędibus, idem de omnibus vitioſis mercibus dicit Cicero: fraudulentam reticentiam eſſe fugiendam.

Præ. *Quis Ciceronis iudicio ſapiens eſt?*

*Dif.* Quicunque bonus eſt vir.

Præ. *Quænam boni viri eſt deſcriptio?*

*Dif.*

*Dif.* Bonus vir is est, qui prosit quibus potest, nocet nemini: cui non quicquã videri potest esse vtile, quod non honestum sit: qui nihil cuiquam, quod in se transferat, detrahet: qui nihil quod turpe sit, vtilitatis suę causa faciet, etiamsi Deum atq; homines celare posset, qui deniq; ne cogitare quicquam audebit, quod non audeat prædicare: de quo trito vetustate prouerbio dictum est: Dignus est quicum in tenebris mices.

Præ *Vbi igitur virum bonum rẽperias?*

*Dif.* Ex Fimbriæ cuiusdam sententia nusquam virum bonũ reperiendum esse statuit, cum ea res innumerabilibus officiis, & laudibus contineretur.

## CAPVT 10.

Præ. *Quid agit Cicero in decimo capite?*

*Dif.* Q Plurimas ex Hecatone, & aliis proponit quæstiones, in quibus vtile, & honestum pugnare videntur. Quasdam de promissis seruandis, de quibus capite decimo tertio, libri primi, disputauit.

## CAPVT 11.

Pr. *Quid agit Cicero in vndecimo capite?*

*Di.* Q Exemplo Vlyssis, Reguli, & aliorũ docet vtilia, quæ videntur, cum fortitudine pugnantia, non esse facienda: atque pluribus verbis laudat Reguli factum, & aliorum respondet obiectionibus, qui illud non approbant.

bant. Denique fortitudinis proprium Iurisiurandi, & periurii definitionem interponit.

Præ. *Quid est fortitudinis proprium?*

*Dis.* Nihil extimescere, omnia humana despicere, nihil quod homini accidere possit, intolerandum putare.

Pr. *Quid est iusiurandum?*

*Dis.* Est affirmatio religiosa, qua Deo teste aliquid promittimus.

Præ. *Quid est periurium?*

*Dis.* Periurii est, non facere id quod ex animi tui sententia iuraueris. vel periurii est nō præstare illud quod quasi Deò teste promiseris.

## CAPVT 12.

Præ. *Quid agit Cicero in duodecimo capite?*

*Dis.* Reprehendit Epicuro[illegible] lorum imminuere opinionem con[illegible] summum bonum in voluptate poi[illegible] omnis temperantię est contraria, qua[illegible] vtilitatis speciem habere dicatur, nulla [illegible]otest esse ei cum honestate coniunctio.

## CAPVT 13.

Præ. *Quid agit in decimo tertio capite?*

*Dis.* Fine huic operi impositio, paucis hortatur filium, vt hos de officiis libros ligenter legat.

Præ. *Narrasti certè probè. Probo acumen, laudo memoriam. Nunc ergo cùm & voluntati meæ satis, & tuo prò tua tenuitate plus satis officio feceris,*